

B. M. II, 355^a

II R
688

H. 69, 4 DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA
SELECTA QVAEDAM CAPITA E DOCTRINA

DE
**LVCRO CESSANTE
ET DAMNO EMERGENTE**
CONTINENS

QVAM
ANNVENTE DIVINA GRATIA
EX DECRETO
ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
PRAESIDE
ACADEMIAE H. T. RECTORE
**PAVLO GVILIELMO
SCHMIDIO, D.**

SEREN. DVCI SAXO-COBVVG. ET SAALFELD.
A CONSILIIIS AVLICIS PANDECT. PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO CVRIAE PROVINCIALIS SAXON.
FACVLT. IVRID. ET SCABINOR. COLLEGII
ADSESSORE

PRAECEPTORE ATQVE PATRONO
PIE COLENDO

PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS

PVBLICAE ERVDITORVM DISQVISIONE
AD DIEM XXVI MARTII MDCCCLXIII.
SVBMITTIT

A V C T O R

ANTONIVS HERTZBERG

WISMARIENSIS

IENAE, PRELO FICKELSCHERRIANO.



DEPARTMENTO DE INSTRUCCION PUBLICA
SECRETARIA DE INSTRUCCION PUBLICA Y CULTURA

EL V. C. R. D. C. E. S. S. A. N. T. E.
E. T. D. A. M. N. O. J. O. R. N. A. L. E.

COMUNICACION

AL SEÑOR DIRECTOR GENERAL DE LA

SECRETARIA DE INSTRUCCION PUBLICA Y CULTURA

DEPARTAMENTO DE INSTRUCCION PUBLICA

SECRETARIA DE INSTRUCCION PUBLICA Y CULTURA

SECRETARIA DE INSTRUCCION PUBLICA Y CULTURA




CONSPECTVS
DISSERTATIONIS.

Conceptus eius quod interest, evolvitur §. I. et

Quomodo ab usuris, a causa et accessionibus differat,
monstratur, §. II.

Diuisio r̄s interesse in extrinsecus et intrinsecus tale
reiiicitur, §. III.

Eam autem, qua in damnum emergens et lucrum
cessans dispescitur, tanquam in legibus, praecipue in L. vn.
Cod. de sentent. quae pro eo, quae simul explicatur, fun-
datam esse probatur, §. IV.

Quid sint casus certi et incerti, explicatur, §. V.

Conueniunt damnum emergens et lucrum cessans 1) in-
iuitu probationis, §. VI.

Quae potest euitari vel leuior reddi a) per stipulatio-
nem poenae b) per iuramentum suppletorium c) per recur-
sum ad usuras ordinarias, §. VII. VIII. IX.

*

Con-

Conueniunt porro 2) ratione moderationis iudici liberæ, et 3) quod utraque species locum habeat in causis ciuilibus aequè ac criminalibus, §. XI. XI.

Differunt a) quod mercatoribus maius quantum lucri cessantis adiudicetur, quam aliis, §. XII.

§) Quod lucrum cessans maiori labore incertitudine, quam damnum emergens, §. XIII.

Quaestio numme interesse alterum tantum superare possit? ab aliis negatur, §. XIV.

Ab aliis affirmatur, idque ex iustis argumentis, §. XV.

Quid obtineat circa locationem conductionem ꝓ operarum, §. XVI.

2) Vfus rei, ubi damnum a) per aëris intemperiem contigit, §. XVII.

Vbi b) ex calamitatibus bellicis oritur, et tunc damnum a locatore et conductore pro rata ferendum, id quod specialibus illustratur casibus, §. XVIII. XIX. XX. denique

Quando cesset resarcitio damni emergentis et lucri cessantis, §. XXI. exponitur.

PRO.



PROOEMIUM.

Loco specimenis inauguralis, pro obtinendis suo tempore summis in iure honoribus, edendi, doctrinam de *damno emergente et lucro cessante* euoluere constitui. Equidem propositum ut mutarem, facile me mouere potuissent querelae *Caroli Molinaei, Socini, Steph. Forcaruli* ab aliis compluribus saepius repetitae, de difficultatibus circa hanc doctrinam occurrentibus, deque dubitationibus antiquis in infinitum productis, et quas Iustinianum Imperatorem per *Legem unie. Cod. de sentent. quae pro eo, qu. inter.* non sustulisse, quin potius auxisse, asserunt. At enim vero et perlustrando et meditando ea quae

A - leges



leges de hac doctrina constituunt et quae interpretes commentati sunt, plana quidem et certa omnia minime vidi, non tamen ita comparata esse obseruavi, vt hanc doctrinam, etsi id perhibeat iam dictus celebratissimus et acutissimus Iureconsultus *Molinaeus* cum quibusdam aliis, Labyrintho, perplexitatum tenebris implicatissimo, similem esse non crediderim. Idque praecipue quum recentiores interpretes in iis, quae antiquiores nonnulli, et in his Glossatores obscurarunt, explicandis, et dubiorum tenebris dispellendis, non infelici successu defudauerint. Hisce motus, proposito meo inhaereo, et, implorato Diuini Numinis auxilio, hanc doctrinam, pro viribus meis exiguis ita exponam, vt, euoluto conceptu eius quod interest, nec non damni emergentis et lucri cessantis, horum differentias ab vsuris, causa et accessionibus, recensere, dein breuiter exposita *Lege vnic. Cod. de sentent. quae pro eo, quod interest*, in quibusnam damnum emergens et lucrum cessans cum genere suo, nimirum eo quod interest, conueniant et ab eodem differant, explicarem, denique quasdam obseruationes, quibus principia generalia ad speciales contractus et casus nonnullos obuinentes, applicari possunt, adiiciam.

§. I.

§. I.

Quam ante omnia significatus terminorum: *damni emergentis et lucri cessantis* exponendus sit, eos autem sub generali appellatione *res interesse*, siue eius quod interest, comprehendi, obseruauerim, merito huius vocis conceptus genuinus mihi eruendus venit. Praetermissis autem, quae IOAN. CORASIVS a) IO. YANNEZ PARLADORIVS b) et alii, quos adducit AVGVSTIN. LEYSERVS c) de latinitate verbi: *interesse* frustra disputarunt, perpensens quod istud vsu receptum sit, ad rem ipsam accedo et *res interesse* siue id quod interest, consistere in aestimatione eius, quod ob dolum, culpam vel moram alterius, praeter rem principalem, alicui abest, assero, idque eo maiori fiducia quia cum hac definitione coincidunt leges Romanae d) aequae ac ista, quae habent alii interpretes, e) nisi quod non nulli in formando hoc conceptu, doli culpae atque morae mentionem non faciunt, quod tamen requisitum tam necessarium,

A 2

vt

a) Miscellaneor. Lib.I. cap.20. BRISSON. tract. de verbor.

b) In quotidian. different. signif. voc. *Interesse*.

CXVIII. num. 1.

e) LYNCKER in comment. de

c) ad ff. specim. CCL. Med. eo quod interest Sect. 1. cap. 3.

I. 2.

§. 4. PARLADOR. quotidian.

d) allegatae a BARNAB. different. CXIIX. num. 9.



vt, eo deficiente, iudex resarcitionem damni dati et
lucris cessantis adiudicare nequeat.

§. II.

Inde facile perspicitur potest, quod Interesse, siue
id quod interest, potissimum f) differat ab *usuris*,
quod in his quantum vel legibus vel obseruancia,
vel certo modo pacto determinatum sit, in isto
autem praeuia actoris probatione quantitas a iudice
aestimanda veniat. Errant igitur, qui cum SI-
GISM. FINCKELTHAVS g) discrimen inter *usuras*
et interesse hodie cessare autumant ex principio iuris
Canonici, iure Romano aequae ac legibus Imperii
reprobato, quod nimirum *usurae* per se illicitae sint,
nisi sub velamine eius quod interest, accipiantur. h)
a *causa*, quae, vt alios significatus huc non perti-
nentes praeteream, conditionem et ius quodcumque
rei cuidam inhaerens, indicat et non tantum omne
commodum et omnem vtilitatem, quae ex re qua-
dam percipi potest, sed et incommoda et onera com-
pre-

f) Plures differentias recenset
LYNGKER de eo, quod inter-
est Sect. 1. cap. 2. §. 3.

g) Obseruat. 40. num. 12.
et 16.

h) CARPZOV. Lib. IV. Resp.
50. num. 3. STRYK. de cautel.
contract. Sect. II. cap. 1. §. 26.
BOEHMER. iur. eccles. Protest.
Tom. V. Lib. V. tit. 19. §. 43.



prehendit, i) ita, vt a nonnullis quoque fructus, sed minus recte non excludantur et afferatur insuper, quod sub condemnatione in restitutionem rei cum omni causa etiam impensae in rem factae comprehendantur k). Causa igitur differt ab eo quod interest, quod istam consequatur dominus rei, ipso iure et absque iudicis auxilio; hoc autem supponat dolum, culpam vel moram, nec non probationem et iudicis aestimationem; denique quia *accessiones* cum causa, siue, vt vocari quoque solet, cum omni causa in plurimis conueniunt, nisi quod per istas augeatur ipsa rei substantia, per hanc autem non aequae l), facile discrimen inter *eo* interesse et *accessiones* elucescit. Reliquas differentias exponit LYNCKER m).

§. III.

Circa diuisiones eius quod interest ex parte superfluas et haud fundatas, quas alii iam enumerant

A 3

i) BARNAB. BRISSONIVS, Proc. iuridic. Part. CXXXVIII. de Verbor. signif. voc. *causa*. num. 3.

IVSTVS MEYERVS in Colleg. iur. Argentor. Lib. XXII. tit. I. §. 42. PARLADORIVS quotidianar. differentiar. CXIIX. num. 6. 7. 8. 9. 10.

l) BARNAB. BRISSON. de verbor. signif. voce: *accessiones*. MEYER in colleg. iur. Argentor. loco cit. §. 43. et 44.

k) CHILIAN. KOENIG. in

m) dict. dissert. Sect. I. cap. 2.



runt n) non immorabor, sed id saltim monebo, istam qua non nulli *id quod interest* distinguere volunt in *extrinsecus* tale, quod mediate, vel rei occasione, non autem ex ipsa re ad nos peruenit, et *intrinsecus* tale, sub quo istud, quod mediatum est, vel ipsam rem, siue ipsius rei aestimationem, aut fructus intelligunt, et fundamento et usu destitutam esse o).

§. IV.

Magis fundata magisque utilis est diuisio, qua *ta* interesse, siue id quod interest dispescitur in *damnum emergens*, quod etiam *damnum positium* appellatur, et diminutionem bonorum, quatenus ista aestimationem recipit, continet, et *lucrum cessans*, siue *damnum priuatiuum*, quod in lucri verosimiliter sperati interceptione consistit: Binas hasce species in legibus p) praecipue in euocata *L. vn. Cod. de sentent. quae pro eo quod inter. profer.* fundatas esse clara eius verba finalia: *et hoc non solum in damno sed etiam in lucro nostra amplectitur constitutio*, loquitur. Hanc legem, quam non nulli

n) LYNCKER in dict. dissert. Sect. I. cap. 4.

o) CAROL. MOLINAEVS de eo quod interest. num. 13. pag. m. 25. HENRIC. COCCII. diss. de eo quod interest. §. 1. 2. 3. 4.

p) L. 3. ff. de damn. infect. L. 13. §. 2. ff. de usufr. et quemadm. Recess. Deputat. Spirens. de Ao. 1600. §. 152. *So viel* nun 2c.



nulli tam obscuram, totque tenebris involutam esse credunt, vt crucem Grammaticorum aequae ac Iuricon- sultorum eam appellare non erubescant, q) notati ideo a MOLINAEO, r) priusquam vltcrius progrediar, paucis explicare, haud abs re esse iudicaui. Et ante omnia quidem monendum, Imperatorem nec leges Dige- sistorum aut alias priores tollere voluisse, s) nec cunctas circa hanc doctrinam olim exortas contro- uersias in hac lege decidendi sibi proposuisse, quod ex verbis: *prout possibile*, apparet. Multas enim inde- cificas adhuc superesse, quilibet facile concedet, sed in ea saltim intentione fuit, vt, ex vna parte, iu- dici certum modum in aestimando et adiudicando eo quod interest, praescriberet, et ne progressus fiat in infinitum, prohiberet, ex altera autem, vt laesiones ex iniqua actoris aestimatione, omni fundamento et verosimilibus rationibus destituta, oriundae, quae in nostra lege sub nomine machinationum et immodi- carum peruersionum veniunt, euitarentur.

§. V.

q) STEPHAN. FORCATVL. tent. qu. pro eo. num. 40. 41. in Nokyomania dial. 42. pag. m. 67. et 68.

r) in dict. tract. sub Rubro: s) LYNCKER de eo quod in- de eo quod interest. speciatim in- terest Sect. III. cap. 5. noua explic. L. vn. Cod. de sen-



§. V. *De modo annu-*

Hunc in finem distinguitur in lege nostra inter casus *certos*, siue res et negotia, quae vel ex natura sua vel ex determinatione legis certum pretium habent, certaue commoda producant, quibus annumerantur species, quae pro certo vendi solent pretio, nec non contractus quibus determinatae praestationes sunt promissae, et *incertos*, quibus indicantur facta et negotia, ubi aestimatio est varia et ex quibus non determinata commoda vel incommoda sequuntur, quo referenda sunt delicta alteri damnosa nec non possessiones contractusque, quibus alter contrahentium ad faciendum obligatur, ut sunt: contractus mandati, negotiorum gestorum, tutelae et certo modo societatis. Circa casus *prioris* generis interdicitur plus quam duplum ipsius pretii actori adiudicari, circa species *posterioris* generis duplum excedere iudicibus equidem permittitur, ita tamen ut antea subtiliter requirant, hoc est curate inquirent in veram et fundatam aestimationem eius quod petentis interest. Et hanc constitutionem demum Imperator circa utramque speciem *et* Interesse, nempe damnum datum aequae ac lucrum cessans, locum habere iubet. Aliae eaeque prolixiores huius legis explicatio-

✠ ✠ ✠

cationes videri possunt apud BRUNNEMANNVM, t) MOLINAEVM, u) LYNCKERVM, x) WERNHERVM y).

§. VI.

Iam dispiciendum venit in quibusnam damnum emergens et lucrum cessans cum genere suo, nimirum eo quod interest, conueniat, et quomodo inter se differant. Et primo quidem loco conueniunt intuitu *Probationis*. Haec ad duo capita coniunctim, nempe quod damnum actu existet, vel lucrum fundatum cesserit, deinde, quod vtriusque causa sit: dolus, culpa, vel mora debitoris, non autem casus solus, necessario dirigenda venit. Vaga enim et generalis indicatio damni quod alicui in patrimonio contigit, vel lucri, quod quis sibi acquirendi spem concepit incertam, minime sufficit, vt iudex hoc vel illud alicui adiudicare queat, sed requiritur, vt origo et fundamentum in libello actionis speciatim recensatur et postea sufficienter probetur. Vnde facile apparet, difficilem admodum interdum quo-

t) in Commentar. ad Cod. ad h. Leg.

u) diſt. tract. de eo quod interest, num. 41. seq. pag. m. 68.

x) in cit. dissert. Sect. III. cap. 5.

y) Tom. I. Part. III. obs. I. num. 6. et inseq.

B



quoque, quia sub resarcitione damni iniuncta, non semper restitutio expensarum litis comprehendatur, z) minus proficuum esse hanc probationem, idque experientia non solum docente, sed legibus et iis quoque, qui hanc doctrinam exposuerunt, id agnoscen-
 tibus. a) Modus autem et media probandi, de quibus alii prolixè agunt, b) a communibus vix differunt. Id saltem monendum venit, istum a probatione damni emergentis et lucri cessantis non esse liberum, cui debitor, mediante pacto: quod nudae eius assertioni stare, nec probationem postulare velit, promissit. c)

§. VII.

Quoniam autem Imperatori Iustiniano per saepe dictam L. vn. Cod. de sentent. quae pro eo quod inter. antiquam prolixitatem circa hanc rem in angustum coarctare, animus fuerit, hocque sine dubio de ambagibus quoque circa probationem recidendis accipien-

z) B. ENGAV Part. II. Decif. CCX. num. I.

a) L. fin. ff. de stipulat. praetor. AVGVSTIN. BARBOSA in thesauro locor. commun. Lib. IX. cap. LXXV. axiom. 4.

b) ALEXAND. TRENTACINQV. practicar. resolution. Lib. I. de interesse num. 38. seq. pag. m. 217.

c) LYNCKER. cit. dissert. de eo quod interest. Sect. II. cap. V. §. I.

cipiendum veniat, ideo varii modi extant, quibus vel prorsus euitari, vel saltim facilius reddi potest haec probatio. *Euitari* autem potest 1) per stipulationem poenae conuentionalis, seu aestimationem damni et lucri a contrahentibus in anteceffum factam, in casum, vbi implementum promissionis ex dolo, culpa vel mora promittentis non sequatur. Et tale pactum per se consideratum, legibus et obseruantia fere vniuersali est permissum, d) modo quantitas promissae poenae omnem non excedat finem ac modum, hoc enim vbi contigit, debitor vel quicumque contrahens in angustiis forte constitutus, ad tale pactum iniquum ineundum coactus praesumitur, et quia nihil aliud est, quam velamen et fucus vsurariae prauitatis, inter illicita refertur e). Idque non solum circa mutuuum, sed etiam circa alios con-

B 2

tra-

d) §. fin. Instit. de Verbor. obligat. L. 3. ff. si quis in ius vocatus non iuer. L. fin. ff. de stipulat. praetor. L. 38. §. 17. ff. de Verbor. obligat. L. 9. §. 1. ff. de vsur. et fruct. 10. CHRIST. FROELICH de FROELICHSBURG in comment. ad C. crim. Carol. Part. II. Lib. IV. tit. 19. num. 3. pag. m. 396.

e) L. 9. princ. et L. 44. ff. de vsur. et fruct. L. 15. et 16. Cod. de vsur. THOLOSAN. in syntagm. iur. vniuers. Lib. XXI. cap. X. num. 4. et 9. GERHARD STRVV. ad ff. Exerc. XXVII. §. 54. BENEDICT. FINSTERWALTER in obseruat. pract. Austr. Lib. II. obs. 13. num. 1.



tractus obtinere, extra dubium est positum f). Varios autem inter modos usurariae prauitatis, sub colore poenae conuentionalis uelandaе, is quoque referendus, quando debitor in casum solutionis non tempore praefinito, sed paulo post praestitae, tametsi creditor ex mora commissa nec damnum alicuius momenti, nec lucri fundati interceptionem demonstrare valeat, nihilo tamen minus praeter ordinarias usuras aliquid sub nomine poenae postulat. Aliter se res habet quoties praeter usuras consuetas aliquid, idque *modicum* loco interesse fuerit promissum simulque damnum vel lucrum cessans ex mora profluens probabiliter appareat g). Dissentit BERGERVS h). Haec autem uerius deducta sunt in Program. Dn. Praesidis de poena conuention. circa mutuum, ubi ita decisum fuisse in iudicio Curiae Prouincial. et colleg. Iurid. Ienens. refert.

§. VIII.

Porro probationis onus 2) leuius redditur in eo, quia, semiplena probatione saltem existente, iudici,

f) IO. HENR. A BERGER in g) RICHTER. Decif. LXXIV. Supplem. I. Elect. discept. fo. num. 71. et 72. renf. ad Tit. L. num. 2. pag. m. h) Elect. disceptat. forens. Supplem. I. ad Tit. L. num. IV. pag. m. 610.

vt actori iuramentum suppletorium iniungat, eoque praestito id quod aequum ipsi videtur, adiudicet, est permissum; i) quid? quod modo constet de dolo aut culpa, vel mora contumaciaque vnus litigantis, licet damnum actori exinde imminens non nisi probabiliter appareat, tamen contra regulam sis. antec. expositam interdum, circumstantiis id suadentibus, praecipue vbi probatio vix sit possibilis, ad iuramentum in litem recurri posse asserit AVGVSTIN. LEYSER k).

§. VIII.

Leuamen quoque circa probationem, de qua iam sermo, 3) in eo deprehenditur, quod actor, vbi in probando damno emergente aut lucro cessante defecerit, hoc omisso, ad vsuras ordinarias, siue istae ex promisso siue ex mora debeantur, recurrere easque petere possit l). Et haec sententia omnino mihi fundata videtur, praecipue vbi quis petitionem vsurarum in casum haud sufficientis probationis eius

B 3

quod

i) L. 3. Cod. de reb. credit. MENOCH. de arbitr. indic. quaest. cas. 119. num. 9. LYNCKER dict. diss. de eo quod inter. Sect. II. cap. IV. §. 8.

k) ad ff. spec. CXLVI. med. I.

l) SAM. STRYK. in tract. de cautel. contract. Sect. II. cap. I. §. 26. et 27. CHRISTOPH. RICHTER. Decis. LXXIV. num. 73.



quod interest sibi reseruauerit. At contrariam sententiam defendunt CARPZOVIUS m) et PETR. HEIGIUS n). Quum contra de eo minus sit dubitandum, interesse peti posse, quoties vsurae non sunt promissae, nec postulantur o).

§. X.

Porro saepius nominatae binae species eius quod interest, in eo congruunt, quod licet probatio earum ex voto cesserit, hoc tamen non obstante, iudici facultas, quantitatem probatam pro aequitate et circumstantiis, minuendi, siue, vt communiter in foro loquuntur, moderandi, competat p), necessitatis autem haec diminutio vel moderatio non sit, quoties actor circa indicationem *τὸ* Interesse fines aequitate et legibus praescriptos egressum non esse, obseruetur q). Salua insuper et libera iudici est potestas, moderationem hancce ante iuramentum praestitum

m) Part. II. Constit. XXX. def. II.

n) Part. II. Quaest. II. num. I. 13. sq.

o) CARPZOV. P. II. constit. XXX. def. 8. num. 11. et 12.

p) L. fin. ff. de stipulat. praes-

tor. ibi: et ad exiguam summam deducitur. Recest. deputat. Spirens. de Ao. 1600. §. So viel nun 152. ibi: und der Richterlichen Erkenntniß darüber zu gewarten.

q) ARNOLD. VINNIUS selectar. quaest. Lib. II. cap. 37.



stitum peragendi, id quod et conuenientius, nec non experientia teste saepissime fieri solet r). In hac diminutione, siue moderatione, quae circumstantiis id suadentibus, adhibitis artis peritis, vel mediante oculari inspectione recte fit, non omne id, quod actor consequi potuisse credit, sed quod ipsi e patrimonio actu abest, vel quod certe habere potuit, idque non ex casu fortuito, sed quia datum factumue non est, quod tamen dari aut fieri debuit s).

§. XL

Denique conueniunt damnum emergens cum lucro cessante, quod vtrumque non saltim ex negotiis ciuilibus, sed et delictis oriens, instituta actione ciuili peti possit, t) frustra dissentiente ANDREA FACHINAEU). Nam propter vulnus iniuste inflictum laedens tenetur laeso non solum ad damnum datum, hoc est ad restituendas impensas vulneri curando factas, sed et ad refarcitionem lucri ex labore et operis

r) LEYSER. spec. CXLVI. et Responf. Part. II. decis. CCX. med. 2 LYNCKER, dict. dissert. num. I. de eo, quod inter. Sect. II. Cap. IV. § 10.

s) VINNIUS quaestion. select. Lib. II. cap. 38. B. 10. RVDOLPH. ENGAV in decision.

t) PETR. GREGOR. THOLOSANVS in syntagm. Iur. vniu. Lib. XXI. cap. X. num. II.

u) Lib. I. controuerf. 49.



ris suis percipiendi, per vulnerationem autem quoad praeteritum intercepti, aequae ac eius quo in posterum quoque per quoddam tempus cariturus est, des Verschumniffes, tenetur x). Et hoc quoque casu eodem modo, quo in causis ciuilibus procedendum, nimirum, vt praeuia actoris speciali, non autem generali y) indicatione et sufficiente demonstratione, iudicis, et quidem istius cui competit iurisdictio criminalis z) moderatio sequatur, in quo tamen non ad ipsius mutilati membri aestimationem, iure Saxo-nico antiquo praescriptam, a) quippe quod quoad hoc caput in desuetudinem abiit, b) respiciendum venit, locum habeat.

§. XII.

Expositis iam iis, quibus conueniunt damnum dolo vel culpa alterius contingens cum lucro ex iisdem fundamentis deperdito, nunc quaeenam existant

Diffe-

x) CARPZOV. in Pract. rer. criminal. Part. II quaeft. XCIX. num. 44. seq. BERGER. in Elect. de Proc. execut. P. I. cap. IX. Iurisprud. crimin. Membr. III. num. 52. sq.

§. 3. num. 4. b) CARPZOV. in Pract. rer. criminal. quaeft. XCIX. num. 32.

y) HARTMANN. PISTORIS Lib. I Quaeft. XVI. in append. b. ENGAV. in Elem. iur. crimin.

z) MATTIAS COLERVS, P. I. Lib. I. Tit. XXV. §. 316. not. XX. Decif. CLXI. num. 55.

Differentiae, quarum quidem exiguus occurrit numerus, dispiciendum. Primo autem loco monendum, quod assertum nonnullorum, qui statuunt, repetitionem lucri cessantis solis mercatoribus, exclusis omnibus, qui mercaturam non exercent, liberam esse relictam, id quod post alios acriter propugnat ANDREAS GAILLIVS, c) in iure minime fundatum, sed potius verius fit, iis quoque, qui mercaturam non exercent, in negotiis itidem ad commercia nulla ratione spectantibus, viam ad refarciendum lucrum cessans legali modo petendum, minime praecludi d). Verba quoque finalia saepius memoratae *Leg. vn. Cod. de sentent. quae pro eo*, distinctionem inter personas mercaturam exercentes et non exercentes, aequae ac inter negotia, ad commercia spectantes et non spectantes minime admittunt. In eo autem omnino consistit discrimen, quod facilius indicetur atque probeatur lucrum cessans a mercatoribus et in causis ad mercaturam spectantibus, quam in aliis; deinde, quod

iudex

c) Lib. II. obseru. 6. num. 2. BERGER. in *Oeconom. Iur.* Lib. III. Tit. IIX. §. 14. Not. 1. 3. et 4.

d) CARPZOV. Part. II. Con- ALEXAND. TRENTACIN-
stit. XXX. defin. IIX. num. 12. QUIVS Lib. I. Resol. I. de In-
teresse num. 6. pag. m. 203.

C



iudex saepius maius quantum eiusmodi lucri mercatoribus adiudicare soleat, quam aliis, idque ad exemplum vsurarum, quarum quantitatem maiorem mercatoribus exigere permittunt Leges, quam in regula licitum est, nec non ex ratione, quod finis mercaturae semper sit captatio lucri liciti, id quod de negotiis a mercatura alienis afferi nequit.

§. XIII.

Addenda altera *differentia*, in eo consistens, quod lucrum cessans maiori labore incertitudine, quam damnum emergens, quoniam istud vt plurimum in futuris saltim contingentibus sit fundatum, hoc autem ad praeterita se magis referat et ex iis deducatur. Inde facile apparet, probationem lucri cessantis, nunquam fere non per meras coniecturas exquirendam, grauiori difficultate, quam demonstrationem damni dati, quippe quod ex factis praeteritis communiter deduci potest, obnoxiam esse. Accedit et hoc, quod iudici circa diminutionem vel moderationem istius liberior quam huius potestas sit concessa, ita tamen vt, quod in moderatione lucri cessantis cuiusque generis, obseruari debet, impensae detrahantur. e) Certo modo quoque hisce diffe-

e) IAC. THOMINGII Decif. XLIV. num. 13.

differentiis est accensendum, quod conductor praedii cuiusdam propter damnum emergens in casibus per leges vel pacta determinatis remissionem locarii postulare, non autem locator, ob lucrum insigne a conductore perceptum, augmentum eius vrgerere possit, nisi colonus sit partiarus, hic enim cum domino praedii in societate quadam viuens et lucrum et damnum diuidit f). Minus autem recte nonnulli casum huc referunt, vbi minor contra laesionem in integrum restituitur, asserentes hanc restitutionem equidem refarcitionem damni positiui, siue emergentis, non autem priuatiui, siue lucri cessantis operari. Haec opinio enim claris contradicit legibus. g)

§. XIII.

Hisce praemissis adiiciendae veniunt obseruationes nonnullae speciales, quarum primum locum occupet quaestio: vtrum *ad* interesse, siue simpliciter, siue loco vsurarum debitarum petatur, duplum siue *alterum tantum* excedere queat nec ne? Hac de re diu disputationis ferra inter interpretes est reciprocata. Negatiuam sententiam praeter IO. OTTONEM TA-

C 2

BOR,

f) L. 25. §. 6. ff. locat. condu. minor. LEYSER spec. LX. med.

g) L. 4. §. 6. et 44. ff. de 3. et 4.



BOR. h) AVGVSTIN. LEYSERVM, i) BRVNNEMANNVM k) acriter propugnat IO. BALTHASAR. a WERNHER l) sequentia potissimum adducentes argumenta. Generatim, aiunt, iuxta sancita Romanorum, m) moribus Germanorum omnino comprobata, vsurae vltra alterum tantum exigi a creditore nequeunt, n) atque hoc ita verum esse, vt nihil referat siue vsurae particulatim solutae fuerint, siue adhuc coniunctim sint residuae, o) simulque, quod validum hic argumentum ab vsuris ad id quod interest, duci possit, credunt, vrgent tenorem *Leg. vn. Cod. de sentent. quae pro eo qu. inter.*, vbi perspicuis verbis: *quod in omnibus casibus, qui certam habent quantitatem vel naturam, hoc quod interest, dupli quantitatem minime excedere debeat*, constitutum sit, nec interpretationem eorum, qui adducta verba de vsuris et eo, quod interest, vnus solummodo anni, et quod istud duplum excedere

h) De praesid. debitor. egent. vend. L. 9. princ. L. 44. ff. de vsur. siue de altero tanto Part. III. L. 4. ff. de nau. foen. L. 37. ff. Arric. XIII. et in eius oper. Vol. I. de euict. pag. m. 358. seq.

i) ad ff. spec. CCL. med. 3. et 4.

k) Comment. ad L. vn. Cod. de sentent. quae pro eo quod.

l) Tom. I. Part. III. obs. 1.

m) L. 44. ff. de actione emt.

n) GEORG. FRANZK. Lib. X. Resolut. X. n. 16. IO. a SANDE in decis. L. III. Tit. XIV. def. 5.

o) LAVTERBACH in Colleg. thor. pract. ad ff. Lib. XXII. Tit. I. §. 26.

o) L. 27. §. 1. Cod. de vsur. Nouell. CXXI.



dere non debeat, non autem de interesse plurimum annorum accipiunt, admittere volunt, denique dictam *Leg. vnic. Cod.* per varios Recessus imperii sublaram aut mutatam, ex ratione, quod ius receptum abrogatum esse, non praesumatur, prorsus negant.

§. XV.

At enim vero sententiam contrariam et quod *eo* interesse, modo istud speciatim indicetur et legitime probetur, licet *alterum tantum* superet, actori siue creditori recte adiudicari possit, cum veritate magis conuenire crediderim, ita tamen vt singularis in eiusmodi casibus a iudice adhibeatur circumspexio, et aequitas praecipue respiciatur. Et id quoque celeberrimi Iurisconsulti nonnulli asserunt. E quibus nominasse sufficiat, BENEDICT. CARPZOVIVM, p) MATTH. BERLICHIVM, q) IO. PHILIPPI, r) ANDR. FACHINAEVM, s) et LAVTERBACHIVM t). Ne autem auctoritatibus disputare velle videar,

p) in *Afyo* debitor. *Posit.* XXIV. num. 274. *seq. Idem P. II.* *constit. XXX. def. 9. nec non Lib. IV. Resp. L. num. 8.*

q) *P. II. Conclus. XXXVIII.* num. 37.

r) in *obseruation. pract. ad constit. Elect. XXIX. obseruat. 2.*

s) *Controuersiar. Iur. Lib. I. cap. 48.*

t) in *Colleg. theor. pract. ad ff. Lib. II. XXII. Tit. I. §. 26.*



videar, breuiter sub incudem vocanda sunt argumenta dissentientium, et quidem praecipue notandum, quod tenor iuris Romani circa vsuras, alterum tantum superantes, moribus patriis minime simpliciter, sed sub plurimis demum restrictionibus atque exceptionibus sit receptum u). Deinde ab vsuris ad id quod interest, validum duci argumentum non potest, quippe quae, omnibus concedentibus, inter se omnino differunt, (conf. §. 2) praecipue si consideramus verba VLPIANI, x) qui ait: *in hanc arbitrariam sc. actionem, quod interfuit veniet, et quidem ultra modum vsurarum.* Et hanc constitutionem, per Iustinianum in saepius memorata *L. vn. Cod. de sentent. quae pro eo*, sublatam aut mutatam, (conf. §. 4.) eius mentem autem eam fuisse, quod equidem quantum \bar{r} interesse vnus anni duplum excedere non debeat, hoc autem circa quantitatem plurium annorum simul sumptorum admitatur, mihi non absonum viderur. Deinde leges Germaniae vniuersales a dicta lege recessisse, patet. Nam in Recessu Imper. August. de Ao. 1530. §. 62. *Item, wie wir hiebevur*, et §. 63. *Nachdem auch*, nec non in Refor-

u) FRIEDER. ES. PVFEN- LAVTERBACH. iam cit. loco. DORF. Tom. I. obseru. XIV. CARPZOV. P. II. constit. XXX. x) L. 2. §. fin. ff. de eo quod def. 28. et alii, quos adducit certo loco.

Reformat. polit. August. de Ao. 1548. Tit. XVII. von
wucherlichen Contracten, quantum vsurarum et eius
quod interest, ad alterum tantum restrictum esse,
minime obseruamus, sed potius in Recess. Deputat.
Spirens. de Ao. 1600. §. 152. *So viel nun, in verbis:
oder aber dem creditori solch 5 Gulden nicht annehmlich,
sondern er vermeinen wollte tam ex lucro cessante, quam
damno emergente ein mehrers zu fordern etc. solches
ihm unbenommen seyn soll, expresse constitutum legimus.*

§. XVI.

Variae insuper eaeque graues occurrunt contro-
uersiae circa id quod interest, intuitu contractus lo-
cationis conductionis tam operarum quam rerum.
Et circa vtrumque notandum, quod is, qui operas
alteri locatas vel vsu rei locatae dolo vel culpa sua
plane non praestitit, non tantum mercedem vel lo-
carium promissum perdat, sed et damnum alteri da-
tum lucrumque omissum, quatenus vtrumque est
fundatum, refarcire teneatur: Contra autem, vbi
facto conductoris proprio vel sine eius, qui operas
locauit alteri, culpa, quo etiam referendus morbus
superueniens, y) operae, vel rei locatae vsus non
prae-

y) LEYSER spec. CCXII. med. 5.



praestentur, damnum per solutionem mercedis locatori datum refarcire debeat, alter autem ad lucrum cessans vix teneatur 2). Eum vero qui operas alteri locavit, negligentiam siue culpam, eamque non saltem leuam, verum etiam, quoties quis artem proficitur certam et personae industria electa fuerit, leuissimam ad refarcitionem eius quod interest teneri a), extra dubium est positum. Hoc autem monendum, casum non praestare locatorem, nisi ipsum in se receperit vel culpa eius praecesserit b). Alia omnia obtinent circa opus conductum, hic enim omne periculum est penes eum, qui opus extruendum in se suscepit, idque vsque dum opus a domino approbatum fuerit c). Plura habet **AUGVSTIN. LEYSER** d).

§. XVII.

Porro, quia locator circa praedia rustica conductori perceptionem fructuum, at non simpliciter omni-

- 2) L. 35. ff. loc. conduct. ibi: *tenearis ut pretium, s. mercedem, restituas: non ut etiam id praestes si quid pluris mea interfit.* L. 38. ff. locat. conduct. **PARLADOR.** quotidianar. different. **CXIIIX.** num. 13.
- a) L. 13. §. 5. et L. 25. §. 25. §. 7. ff. loc. conduct.
- b) dict. L. 13. §. 5. ff. loc. cond.
- c) L. 36. L. 51. §. 1. ff. dict. loc. conduct.
- d) Specim. **CCXII.** med. 3.



omnium, quum hic multum spei occurrat, praestare teneatur, ideo obtinet, vt iudex, quoties conductor remissionem locarii ob iacturam, per casum fortuitum perpeffam, postulat, in aestimatione huius ad solum damnum emergens, non autem simul ad lucrum cessans respicere debeat e). Ita, quum conductor siue Pensionarius quidam praedii rustici vrgeret, vt ista species fructuum, quos per tempestatem calamitosam et aeris intemperiem, saluis reliquis fructibus aequae ac aliis redditibus praedii, amiserat a iudice ita aestimaretur, vt non tam pretii quo isti tempore iacturae contingentis, sed praesentis potius, quo pluris omnino valebat frumentum, ratio haberetur et praeterea quoque, vt in hac aestimatione non ista solummodo fructuum quantitas, quae in conducto aequae ac vicinis praediis annis, quibus non media sed summa vbertas obseruata fuerit, in computum venire deberet: eius postulatam refarcitionem damni perpeffi longe excedens et ad lucrum cessans idque minime fundatum, simul directum, tanquam iuri et aequitati contrarium meri-

e) L. 15. § 2. 5. et 7. ff. lo. *sua interest, conductor consequatur. conduct. ibi: ubicunque tatur, sed mercedis exonerationem mea remissionis habetur ratio ex pro rata.*
caussis supra relatis, non id quod

D



merito reprobandum fuit. Id quod et, vt mihi retulit Dn. Praefes, factum et modicum saltim quantum admissum fuit per sententiam a Collegio Iurid. Ienensi in caussa P. contra von K. latam. Idque eo magis, quia ex calculo, quod quantitas damni emergentis, quam conductor sibi adiudicari petebat, dimidium integrae pensionis vnus anni superaret, apparebat.

§. XVIII.

Praecedenti §pho de refusione damni per aëris intemperiem facti actum, nunc nonnulla circa detrimentum conductori per calamitates bellicas datum, et quarum controuerfiarum insignis occurrit numerus nostro tempore, breuiter exponam. Eximius deprehenditur dissensus Interpretum non saltim generatim intuitu damnorum, quae conductores praediorum rusticorum occasione belli sentiunt, sed et speciatim de casu, vbi iactura non circa fructus praedii, sed in rebus ipsius conductoris propriis, contigit et vtrum is, vbi certas ad militum sustentationem impensas facien- das pacto, tempore pacis inito, in se suscepit, ad omnes, easque immodicas belli tempore emergentes, susci- piendas, sine spe refusionis teneatur. *Prius* quod ad- tinet,



tinet, cum legibus f) et aequitate convenire certum est, quod conductor damnum immodicum, quale est impensarum, summam ipsius locarii annui excedens, minime ferre, sed dominus praedii partem eius in se suscipere teneatur. Idque potissimum obtinet, quando casus eiusmodi iacturae occasionem dantes, insolitissimis annumerandi et tales sint, qui prorsus praevideri non potuerunt g). Partes autem secundum proportionem quae inter damnum siue impensas factas, et summam locarii per singulos annos soluendi, intercedit, consideratis insuper aliis circumstantiis concurrentibus, a iudice, secundum aequitatem sunt constituendae.

§. XIX.

Quoad *Secundum*, in regula equidem verum est, quod damni conductori praedii rustici contingenti tantummodo quoad fructus, et quidem nondum separatos, non autem quoad ea, quae ad conductorem iure domini spectant, ratio sit habenda h). At hoc

D 2

salrim

f) L. 3. Cod. de locat. et conduct. ibi: *et generatim ad contractum adimplendum nemo cogi potest, si status rei plane, vel ita mutatus fuerit, ut contrahens, si eum praeviderisset, non contracturus fuisset.*

g) LEYSER specim. XL. med. 4. IO. KOEPPEN Part. I. Decis. XXVII. num. 6. sq. ANDR. GAIL. Lib. II. obseru. XXIII.

h) CARPZOV. Part. II. Const. XXXVII. def. 20. STRYK de cautel. contr. Sect. II. Cap. IX. §. 20. et 22.



falsim obtinet, vbi de remissione locarii propter iacturam particularem, et praecipue ipsos fructus percipiendos tangentem quaestio est, non autem quoad vniuersale damnam, quale est, quod ex calamitatibus bellicis ab omnibus subditis coniunctim, secundum cuiusque conditionem et facultates, ferendis, oritur, talem enim casum simul sentit dominus, i) ita tamen vt conductor, qui aequae subditus est, partem damni dati in se suscipiat. Quales autem partes in diuidendo damno inter conductorum et locatorem faciendae veniant, in legibus non est determinatum, nec pro insigni specierum ac circumstantiarum varietate ordinari commode potuit, ideoque iudicis arbitrio merito relinquitur k).

§. XX.

Tertium denique quod adtinet, quoniam pacta et promissa ad non cogitata trahi non posse, iuris est indubitati, inde prono fluere alueo puto, quod conductor fundi cuiusdam, qui inter alias conditiones contractui locationis tempore pacis inito, eam quoque adii-

i) CARPZOV. Part. II. Comment. XXXVII. def. 14. et 15. XXIV. thes. 16. RICHTER Def. LXXXI. num. 51. Dn. RIED-
FRANZK. in Comment. ad ff. ESEL ab EISENBACH in Com-
ment. de remiss. merced. in lo-
cat. conduct. num. 92. sq. cat. conduct. ob calamitat. bellig.

k) STRVVIVS Exerc. ad ff. cap. II. §. 18.

adiici permittit, quod nonnullas easque nominatas, occasione transitus militum eorumque per breue tempus durantis commorationis, erogatas impensas, bey Durch-Maerchen und Standt-Quartieren, in se suscipere velit, ex hoc vnico fundamento ad quoscunque sumtus, eosque immodicos, occasione belli, postea exorti, adeoque non praeuisi, solus et nihil contribuente praedii domino adigi possit, mihi persuadere nequeo. Id quod post alios l) vberius exponunt IVST. HENNING. BOEHMERVS m) et ANDR. WEGEN n). Ex his quoque fundamentis, vt a Dn. Praefide percepi, controuersia inter conductorem Wolf. qui Actoris, et Westh. qui Rei vices gerebat, haut ita pridem agitata in Collegio Scabinorum Ienenfi decisa fuit in hunc modum: Dafs Beklagter den fol. Actor. 17. verzeichneten, bey Durchmaerschen, Einquartierungen und Verpflegung fremder Kriegs-Voelcker gehabten Aufwandt, Falls solcher von dem Pachter gebührend bescheiniget worden, gestallten

E

Um-

l) AYMON. CRAVETTA m) in Dissertat. de locat. con-
Tom. I. Part. I. consil. 3. num. 19. duct. praedior. rusticor.
WERNHER Tom. I. Part. II. obseru. 420. RICHTER Vol. I. n) in Tract. de locat. et con-
Part. II. consil. XXXV. num. 27. duct. Cap. VIII.
et 28.



Umstaendten nach, zu zwey Drittheilen, zu übernehmen und respect. Klaegern zu vergüten, dieser hingegen den übrigen Ein Drittheil sothanen Aufwandtes über sich zu nehmen, sowohl die vorgestellten Soldaten - Spannung und Führen, in soferne er solche mit eigenen Pferden verrichtet und er andern nicht bezahlet, anzurechnen nicht befugt.

§. XXI.

Plura omnino de themate proposito, quod maximi ambitus est, dicenda superesse probe (equidem habeo cognitum. At temporis angustia praeclusus, et ne modum speciminis Academici excedam, praetermissis reliquis vnicum saltim addo, quod damnum emergens et lucrum cessans, licet per se fundatum, peti amplius ne quidem per separatam actionem possit, quoties istud vna cum sorte iam postulatum, in sententia vero expresse denegatum, vel omissum, dein ubi creditor sortem vel debitum principale, nulla vel protestatione, vel reservatione intuitu *rs* interesse adiecta, acceperit o). Hic enim tacita adest renunciatio.

o) D. MARTA in Digest. cap. 49. et 50. CARPZOV. nouiss. Tom. III. Tit. *Interesse* Part. II. constit. XXX. def. 12.

T A N T V M.





VIRO PRAENOBILISSIMO
IVRIVM CANDIDATO
DIGNISSIMO,
ANTONIO HERZBERGIO,
S. P. D.
PRAESES.

Futura praefagire et hominum fata praevidere, idque cum certitudine, est quidem quod hominum vires omnino excedit. At enim vero ex vita ante optime acta, ex indefessa industria, qua quis in varias scientias inprimis autem vtilitate se commendantes incubuit, denique ex speciminibus variis haud vulgaris cognitionis sibi acquisitae, priuatim aeque ac publice editis, fata alicui futura prospera, absque temeritate, probabili potius ratione conicere ac praefagire omnino licet. Quum igitur in TE iam enumerata laude digna non solum a me, dum varias praelectiones atque exercitationes iuridicas a me institutas hucusque assidue frequentasti, sed et a reliquis, quorum opera in addiscendis scientiis philosophicis ac iuridicis usus fuisti, observata fuerint, et TV insuper omnibus, in quorum notitiam venire contigit, modestia et morum integritate TE commendaveris: confidenti animo TIBI, PRAENOBILISSIME atque DOCTISSIME CANDIDATE in futurum quoque tempus quaevis fausta atque prospera, utque fructus industriae TVAE percipias vberriimos, precor, simulque de vita Academia laudabili modo et ex voto peracta, nec non de speciminibus, pro summis in utroque iure honoribus, tempore, quod TIBI placebit, consequendis, felici successu editis, ex animo gratulor. Denique persuadeas TIBI velim, gratam mihi semper et acceptam fore TVI recordationem. Vale et imposterum quoque TVAE amicitiae commendatum me habe. Scribeb. Ienae d. xxiii. Mart. A. R. S. MDCCLXIII.



VIRO PRAENOBILISSIMO
IVRIUM CANDIDATO

DIGNISSIMO

AMICO SVO COGNATIONE CONIUNCTO

HONORATISSIMO

S. D. P.

LAURENTIVS IOANNES DANIEL SVCCOW,

PHYSICES P. P. O.

Cathedram ICtorum adscendes, VIR PRAENOBILISSIME tela opponentium reicies, neque nisi victor atque laureatus discedes? Omnino: Ecce argumentum gaudii mei, quod per complures annos, quibus TVA familiaritate vsus, TVASQUE praeclaras virtutes, eruditionemque singularem sum expertus, sperare licuit atque augurari. Iam finem lucubrationibus TVIS academicis imponere, inque tesseram bene collocati temporis et honores summos reportare, et aliis ad imitandum exemplar esse vales singulare. TVAM erga me prolixam voluntatem diu, et tot testatam fecisti documentis, vt non possim non valde lactari, quod tandem aliquando exoptatam nactus sum hanc occasionem, meum erga TE studium publice declarandi. Gratulor TIBI sincero pectore de felici iam peracta academica vita, de specimine TVO erudito, deque honore summo, quo TE dignum omnino iudicavit. Ill. ICtorum ordo. Gratulor patriae carisque omnibus TVIS, qui TIBI bene cupiunt, ac quorum spem non adimpler tantum, verum potius superas. Si quid autem abs TE petere licet, oro TE obtestorque, vt me eodem, quo adhuc complexus es, amore in posterum quoque complectaris, TIBIQUE persuadeas, vsi quid fuerit, in quo mea vi possis opera, quamquam sentio quam sint exiguae vires meae, id TIBI semper TVIS que vsibus dicatum esse, atque consecratum. Ceterum summum, quod omnia moderatur, Numen imploro, vt omnia TIBI fausta atque fortunata esse inbeat, coeptaque TVA benignissime secundet. Ita Vale. Scrib. Ienae d. xx Martii A. R. S. MDCCLXIII.

MON-



MONSIEUR,

C'est avec la plus grande satisfaction du monde, que j'accepte la favorable occasion de Vous témoigner publiquement l'estime, que j'ai eue toujours pour Vous et pour Votre mérite, je parle de l'acte solemnel, où Vous prendrez le Degres. Votre agreable conversation, dont Vous m'avez honoré jusqu'ici, m'a toujours été avantageuse ainsi bien que soubaitable, ayant trouvé dans Vous beaucoup d'erudition et une conduite qui convient parfaitement avec cella là, de même que celle-ci merite d'être admirée. Je me prends donc la liberté de Vous feliciter de la dignité que Vous allez aujourd'hui obtenir et que Vous meritez si bien; en même tems je Vous rends graces les plus obligantes du plaisir, que Vous m'avez fait en m'accordant l'honneur d'être au rang de Vos opposans et de pouvoir profiter à cette occasion de Votre habilité. Enfin, MONSIEUR, je ne puis que Vous prier de m'honorer aussi dans Votre absence de Votre agreable ressouvenir, et soyez persuadé, que je serai toujours avec la plus grande estime

MONSIEUR

Votre

à Jene
le 23 Merz 1763.

treshumble et tres obeissant
serviteur

ADAM LOUIS FREDERIC SCHMID,
Avocat du Baillage.

E 3

MON-



MONSIEUR,

*L*a liaison de la plus sincère amitié, qui nous a enchainé depuis long tems, me fait songer à Vous en devouer un monument public. Je n'estime heureux d'avoir trouvé une occasion si favorable non seulement pour Vous rendre mes hommages, mais aussi pour Vous remercier très humblement de l'honneur, que Vous m'avez fait de me choisir votre opposant. J'ai en même tems sujet de Vous féliciter, de la plus louable consommation de Vos études, dont Vous avez déjà donné des preuves à suffisance. Vous n'avez désormais à attendre, que les recompenses que meritent Vos veilles, et Vos travaux. Allez donc jouir de la plus grande fortune, et pendant sa jouissance, ayez la bonté de Vous souvenir d'un ami qui Vous honore véritablement, et qui est avec un attachement inviolable

MONSIEUR,

à Jene

le 20 de Mars 1763.

*Votre très humble et très obéissant
serviteur*

D. C. BOHSE,
de pays de Meclenbourg Opposant.

*I*l faut, MONSIEUR et très cher ami, que je Vous ouvre mon coeur, et que je Vous fasse part de la joie, que j'ai de Vous voir paroître aujourd'hui dans le monde. Vous allez donner des preuves d'une longue assiduité dans les études. Mon dessein n'est
pas



pas de Vous faire un grand éloge, et de faire valoir Votre savoir peu commun, qui se montrera publiquement. Cela sera fort inutile. Chacun peut voir, que Vous avez l'esprit fin, et que Votre délicatesse dans le Droit brille dans les plus petites choses de Votre dissertation. Acceptez dont, cher ami, pour recompense de Vos efforts, les applaudissements du Public; Vous en êtes digne. La part que je prends à Votre honneur, et la complaisance que Vous avez toujours eu pour moi, m'ordonne de Vous féliciter du premier avantage de Votre industrie immuable, et je me loue en même tems du profit, que j'ai pu tirer de Votre agréable conversation. Votre amitié me sera toujours précieuse: je profiterai de tous les doux moments, que nous avons employés à nous donner tour à tour des marques d'une intime liaison. Que je serois à plaindre, si Votre départ changeoit Vos sentiments favorables, et s'il ne me restoit l'esperance, que Votre foi me garantira de la perte de Votre bienveillance? Partez dont, cher ami, heureusement pour Votre patrie, et recevez dans le sein d'une respectable mere, et dans les bras d'une famille fort estimée le loyer de Vos travaux. Tels sont les vœux de celui, qui sera toute sa vie avec un attachement inviolable,

M O N S I E U R

et très cher ami

à Jene le 26 du Mars
1763.

Votre très humble et très obeissant serviteur
L. H. WETKEN, de Hambourg.

A M I-

QKTK 688



AMICORVM OPTIME.

Propinquae non cognationis solum coniunctio, sed et ab ineunte aetate per longam multorum seriem, ad hunc vsque diem, annorum, conseruata familiaritas, omnino exigit, vt TIBI, AMICE AESTVMATISSIME SVAVISSIMEQUE et dignitatem, quae indefessae TVAE est remuneratio industriae, et honores, ad quos iamiam adspiras, omni sinceritate aeque ac mentis integritate, omnium cognatione, qui TE contingunt, maxime lactabundus gratuler. Ast mihi non tanta neque verborum copia, neque inest facundia, vt egregiam TVAM satis digne efferre possim eruditionem laudibus. Iam TE reuocat Patria nostra, TE auide, ad summos TIBI honores, summaeque virtutis, studiorum TVORVM proemia, quae suis proposuit Pallas cultoribus, deferendos, expectans. Abeas itaque laudibus dignus, Patriae quoque nostrae, egregiae TVAE specimina daturus indolis atque eruditionis. Sit TIBI vbique salus terrarum comes, omniaque voto competere TVO, summum iubeat Numen. Mei vero olim, vt recorderis, mihiqne mancas Fautor, rogo, oro quae-
soque

Praeclari Nominis

TVI

Scribebam Ienae
die xxvi Martis MDCCCLXIII.

cultor studiosissimus


C. G. SCHEFFEL, Vismariens.



X2502129

nd





B. M. II, 355

II k
688

h. 69, 4 DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA
SELECTA QVAEDAM CAPITA E DOCTRINA

DE
**LVCRO CESSANTE
ET DAMNO EMERGENTE**
CONTINENS

QVAM
ANNVENTE DIVINA GRATIA
EX DECRETO
ILLVSTRIS FACVLTATIS IVRIDICAE
PRAESIDE
ACADEMIAE H. T. RECTORE
**PAVLO GVILIELMO
SCHMIDIO, D.**

SEREN. DVCI SAXO-COBVRG. ET SAALFELD.
A CONSILII AVLICIS PANDECT. PROFESSORE PVBLICO
ORDINARIO CVRIAE PROVINCIALIS SAXON.
FACVLT. IVRID. ET SCABINOR. COLLEGII
ADSESSORE
PRAECEPTORE ATQVE PATRONO

PIE COLENDO
PRO SVMMIS IN IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS
PVBLICAE ERVDITORVM DISQVITIONI
AD DIEM XXVI MARTII MDCCLXIII.
SVBMITTIT
AVCTOR
ANTONIVS HERTZBERG
WISMARIENSIS

TENAE, PRELO FICKELSCHERRIANO.

